



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. LXXXVIII. De Fidejussione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

tam; & ex sola interpellatione extrajudiciali facta debitori potest ab eo petere omnia damna, & interesse. Rota apud Galles, & Zacchiam de Obligat. Cameral. decis. 31. num. 7.

3. *Quer.* An possit dari absolutio ab hoc juramento ad effectum impugnandi contrarium? *Resp.* Affirmative; imò juxta stylum conceditur absque partis citatione. Galles qu. 25.

4. *Quer.* An alia vis inest huic Camerali obligationi? *Resp.* Inesse hypothecam omnium bonorum, tam presentium, quam futurorum. Rota coram Othobon. decis. 156.

5. *Quer.* Qualis sit effectus præcipuus hujus obligationis Cameralis? *Resp.* Reddere executionem paratam, sine mora formandi processum ordinarium. Zacchias in Addit. ad Galles quest. 2. num. 1. Quod idem est cum garantigia, seu instrumento garantigato; illo scilicet, in quo Notarius exprimebat, qualiter debitor assumebat in se judicium, seu sententiam voluntariam, ita, ut creditor posset facere executionem absque alio judicio. Nicol. ubi supra num. 49. dist. lib. 3. tit. 14.

6. *Quer.* An contra obligatum in forma Camerae possit executive procedi ad incarcerationem, non facta bonorum excussione? *Resp.* Affirmative. 1. Abstinentium C. Quorum appellat. non recip.

7. *Quer.* An obligato in forma Camerae, & contententi debitum debeat assignari terminus ad solvendum? *Resp.* De Jure ei competere terminum unius Mensis. Galles. qu. 36. num. 35. Quem Judex potest restringere ad viginti, & etiam ad decem dies, si agatur de parva summa. ibid. num. 36.

8. *Quer.* An obligatio Cameralis extendatur contra Tertium bonorum possessorem? *Resp.* Negative, & ideo contra eum executive procedi non potest. Rota decis. 47. num. 3. & decis. 96. num. 2. apud Gallesium.

9. *Quer.* Ubi possit conveniri debitor in forma Camerae? *Resp.* In omni loco, & coram quocunque Judice. Zacchias qu. 7. num. 1. & sic non potest opponere exceptionem declinatoriam fori.

10. *Quer.* An Clerici obligati in forma Camerae possint carcerari non excusis bonis? *Resp.* Affirmative, ac etiam Episcopi, & alii in dignitate constituti; sed cum mandato A. C. Nicol. in 2. tom. tit. de Solut. lib. 3. tit. 23. num. 4. Lucubrat. Canonicarum.

11. *Quer.* Quas exceptiones possit opponere obligatus in forma Camerae? *Resp.* Tres tantum exceptiones. Primam, Nullitatis, seu Falsitatis. Secundam, Quietationis. Tertiam, Solutionis. Zacchias quest. 17.

12. *Quer.* An in hac obligatione possit dari exceptio non numerata pecuniae intra biennium? *Resp.* Negative; & ideo etiam intra biennium mutuatarius debet probare, sibi pecuniam non fuisse solutam; & interim vel debet facere depositum, vel executio non retardatur. Zacchias ad Galles. qu. 20. num. 2.

13. *Quer.* Quomodo admittatur exceptio nullitatis, seu falsitatis? *Resp.* Si ea resultet ex ventre Instrumenti, & Contractus, vel si

incontinenti debitor eam probet. E. gr. si pupillus, vel minor se obligasset sine solemnitatibus. Galles. qu. 3. num. 5.

14. *Quer.* Quomodo Quietationis exceptio intret? *Resp.* Si ex alio liquido credito debitor statim doceat, quietationem sibi à creditore deberi. 1. Debitor. ubi Gloss. in verb. mihi ff. de Neg. gest. & præcipue, si hoc creditum esset privilegiatum. Zacchias qu. 18. num. 15.

15. *Quer.* An detur appellatio à sententia contra obligatum in forma Camerae? *Resp.* Dari ad effectum devolutivum, non autem suspensivum. Zacchias qu. 37. num. 47. nisi debitor confessus debitum suscepisset terminum ad solvendum; nam in hoc casu ad nullum effectum admittitur amplius appellatio. Zacchias ibidem num. 48.

16. *Quer.* An in aliquo casu detur appellatio etiam quoad effectum suspensivum? *Resp.* Affirmative, quando Judicium fuit intentatum via ordinaria; quando Judex intulisset notorium gravamen, vel fecisset excessum in exequendo. Zacchias d. qu. 37. num. 35. 36. & 38.

CAPUT LXXXVIII.

De Fidejussione.

1. *Quer.* Quot sint genera personarum, quæ pro aliis fidejubere, id est, fidem suam interponere solent? *Resp.* Sunt quinque. 1. Mandator, ut si ego scribam tibi, ut des centum Petro, remaneo obligatus apud te pro illis centum, si Petrus ea non tibi restituat. 1. Si mandato meo, 14. ff. de Fidejussor. 2. Constitutor, ut si ego constituam, etiam nudo pacto, me soluturum, quod alius debet. §. De constituta 9. Institut. de Actionibus. 3. Sponsor, qui sponte, & non rogatus pro alio fidejubet. 1. Qui patitur, 18. ff. Mandati. 4. Expromissor, qui intercedit pro eo, qui non est efficaciter obligatus. 1. Si stipulationem §. S. Satis acceptio, ff. de Verb. Oblig. 5. Fidejussor, & proprie est ille, qui rogatus pro alio principaliter obligato intercedit, & accessorie obligatur, ut toto tit. de Fidejuss.

2. *Quer.* In quibus obligationibus possit intervenire Fidejussor? *Resp.* In quacunque obligatione, tam naturali tantum, quam civili tantum, nec non naturali, & civili simul. 1. Marcellus. 25. 1. Ex persona 33. ff. de Fidejussor.

3. *Quer.* An teneatur Fidejussor in contractu alienationis rei Ecclesiae inito sine solemnitatibus? *Resp.* Negative, quia cum nullus sit contractus ipso jure, nulla quoque est promissio Fidejussoris. 1. Cum lex, 47. ff. eod.

4. *Quer.* An Fidejussor recipiatur pro persona Rei à carceribus relaxanda ante sententiam? *Resp.* Negative, ubi poena corporalis venit infligenda. 1. Divus, ff. de Custod. & exhib. reorum.

5. *Quer.* An sit auferenda poena à Fidejussore, si sequestratus, pro quo fidejussit, discedat domo, sed statim revertatur? vel

Q 3

Reus

126 Erotem. Eccl. Cap. LXXXVIII. De Fidejussione.

Reus positus sub Fidejussione extra carceres, ut dicunt ad largam, discedat, sed revertatur statim? *Resp.* Negative, ut respondit Sac. Congregat. apud Nicol. tit. 31. num. 4. de Fidejuss. Quod accidit in Episcopatu Paduæ in duobus carceratis pro Sancto Officio, qui aufugerunt; & cum Fidejussores urgerentur ad poenam Ducatorem 100. operati sunt, ut Rei reverterentur, qua facta reversione, fuerunt absoluti à poena pecuniaria; sed Rei in arcta custodia clausi, paulo post fuerunt condemnati, & misi ad triremes.

6. *Quer.* Quot beneficia sint à jure introducta ad favorem Fidejussorum? *Resp.* Trium ordinis, seu excussionis. Alterum Epistola Divi Hadriani. Tertium cedendarum Actionum. Nicol. dict. lib. 3. tit. 21. §. Si plures. Institut. de Fidejussorib.

7. *Quer.* Quare sit beneficium ordinis, seu excussionis? *Resp.* Beneficium ordinis, seu excussionis est, quod creditor non potest convenire Fidejussorem, neque eum excutere, nisi prius excutiat debitorem principalem; & cum non solvendo reperit. *Auth. Presente. C. de Fidejussor.*

8. *Quer.* In quibus casibus cesset hoc beneficium excussionis? *Resp.* Cessat in octo casibus. Primò, quando Fidejussor illi renunciavit, ut communiter fieri solet. Gloss. in *Auth. Hoc ita, C. de Duob. reis. l. Si quis in conscribendo. 19. C. de Pactis.* Et non solum expresse, sed etiam tacite; nempe quando se obligavit vel cum juramento, vel in forma Camerae. Zacchias apud Cencium de Censib. qu. 32. num. 3. Secundò, quando debitor est absens, & in termino assignato Fidejussor eum non conducit. *dict. Auth. Presente.* Vel debitor obiit ante solutionem. *l. Fidejussor. 16. ubi Gloss. in §. fin. de Fidejussor.* Tertio, quando notorium esset debitorem non esse solvendo. *dict. Auth. Presente.* Quarto, quando constat principalem debitorem esse rixosum, præpotentem, & difficilem nimis, qui possit excuti, quod notandum est pro iis, qui fidejudent pro dominis potentibus. *l. Si quis stipulatus, 12. §. fin. ff. de Verb. Oblig.* Quintò, si creditor sit debitor Fidejussoris, & velit compensare suum debitum cum illo. *Bald. in l. Exceptione, 11. C. de Evict.* Sextò, quando principalis non est obligatus civiliter, sed naturaliter tantum. *l. Marcellus. 25. ff. de Fidejuss.* Septimò, quando negavit, se fidejussorem, & fuit convictus de mendacio. *arg. cap. Si dubitet. 11. §. Ita demum. ff. de Fidejussor.* Octavò, si ante litem contestatam fidejussor hoc beneficium non petisset. *DD. in d. Auth. Presente.*

9. *Quer.* Quale sit beneficium Epistolæ divi Hadriani? *Resp.* Quia de jure, licet plures sint confidejussores pro uno, & eodem debito, tenentur omnes in solidum pro toto debito, Divus Hadrianus Imperator concessit Fidejussoribus beneficium divisionis, quo creditor compellitur petere à quolibet Fidejussore tantum suam partem contingentem. *l. Non rectè, & l. Fidejussor. 10. C. de Fidejussorib.*

10. *Quer.* In quibus casibus cesset hoc beneficium divisionis? *Resp.* In novem casibus,

Primò, quando huic beneficio renunciavit, ut communiter fit. *l. Si quis in conscribendo. 29. C. de Pactis.* Secundò, si ante divisionem actionis unus ex confidejssoribus desit esse solvendo. *d. l. Fidejussor. 10. C. de Fidejussor.* quòd si ad inopiam verget post divisam actionem, periculum spectat ad creditorem. *l. Liberum. 16. C. eod.* Tertio, quando quis negavit se fidejussorem expresse; secus si generaliter negavit narrata prout narratur. *l. Si dubitet, §. Ita demum, ubi Bart. ff. eod.* Quarto, si agatur de Fidejussore Fidejussoris, nam tunc primus Fidejussor reputatur debitor principalis. *l. Si plures. 27. §. fin. ff. eod.* Quintò, in Fidejussoribus tutorum, nam favore pupillorum hoc beneficium non datur iisdem Fidejussoribus. *l. Si plures, 12. ff. Rem pupil. sal. fore. Sexto.* Si aliquis confidejssor non sit efficaciter obligatus; ut si sit mulier, vel minor. *l. Si Titius. 49. ff. eod.* Septimò, quando diversis temporibus fidejusserunt. *Vinc. de Franchis decis. 55. num. 11.* Octavò, quando plures Fidejussores intervenerunt non pro tota summa, sed pro certa quantitate; quia tunc quilibet tenetur juxta suam promissionem aut majorem, aut minorem. Ita Sac. Cong. apud Nicol. d. lib. 3. tit. 21. §. Si plures, n. 6. in fin. Et Nono, quando fidejussor conventus neglexit opponere hanc exceptionem. *Gloss. in d. §. Si plures. in Verb. partes.*

11. *Quer.* Quale sit beneficium cedendarum Actionum? *Resp.* Cum nulla actio de jure competat Fidejussori contra alios confidejssores, potest obligare creditorem principalem, antequam solvat debitum, ut sibi cedat actionem suam contra eosdem confidejssores, ad hoc, ut possit agere ad suum levamen contra ipsos. *l. 14. & l. 15. ff. eod. Abb. in cap. 2. fidejussor.*

12. *Quer.* An Fidejussor possit obligari in plus, quam debitor principalis? *Resp.* Negative, neque in quantitate, neque in qualitate, neque in tempore. *§. Fidejussor. Inst. eod.* quamvis efficacius possit. *Rota apud Cencium decis. 197. num. 7.*

13. *Quer.* Quænam actio conferatur Fidejussori contra debitorem principalem? *Resp.* Actio mandati pro toto debito, expensis, damnis, & interesse. *Rota apud Galles. 20. num. 11.*

14. *Quer.* An, & quando Fidejussor agere possit contra debitorem principalem, ut eum liberet à Fidejussione, antequam à creditore conveniatur? *Resp.* Potest in sex casibus. Primò, quando Fidejussor fuit condemnatus ad solvendum. *§. fin. eod.* Secundò, quando principalis incipit dilapidare bona sua. *d. cap. fin. & l. Lucius. 38. ff. Mandat.* Tertio, quando Fidejussor diu stetit in obligatione, quod remittitur arbitrio Judicis. *dict. cap. fin. & ibi Gloss. l. si pro ea, C. Mand. & per spatium novem annorum solet dici diu stetisse.* Rota apud Cencium decis. 195. num. 9. Quarto, si fidejussit pro promissione de eviçione, & jam eviçio facta est. *Rota apud Coccin. decis. 100.* Quintò, quando tempus solutionis adeo. *cap. Constitutus eod. & Sextò, quando Fidejussor.*

jussor, vel debitor vult se conferre ad longinquas partes. Abb. in d. cap. fin.

15. *Quer.* Quando Fidejussio expiret ipso facto? *Resp.* Quando facta fuit vel ad tempus, vel sub conditione, vel debitor principalis solvit, aut a debito fuit liberatus. Nicol. ubi supra Civil. Lucubr. d. lib. 3. tit. 21. num. 11.

16. *Quer.* Quæ personæ prohibeantur fidejungere? *Resp.* Personæ prohibita fidejungere sunt: Milites, Clerici pro Laicis (at si fidejubeant, obligantur c. 1. & cap. fin. eod.) Pupilli, Minores curatorem habentes, quod si non habeant curatorem, possunt se obligare, præterquam in alienatione immobilium. Rota part. 1. recent. decis. 674. num. 2. Filiifamilias, Pauperes, Regulares, & Mulieres. Nicol. in §. fin. Inst. de Fidejuss. for. num. 13.

17. *Quer.* An sit efficaciter obligata mulier, si fidejubeat? *Resp.* Negativè, nisi in certis casibus, resistente Senatus Consulto Vellejano? Nicol. d. lib. 3. tit. 21. num. 14.

18. *Quer.* Quid sit Senatus C. Vellejanum? *Resp.* Est dispositio legis ad favorem mulierum, quæ facit eas promittendo non obligari. l. Antiqua 25. §. 6. C. ad S. C. Vellejan.

19. *Quer.* In quibus casibus mulier obligetur eo S. Consulto non obstante? *Resp.* Primò, si renunciet dicto Vellejano. Secundò, si fidejubeat pro suo creditore. l. 3. ff. eod. Tertio, si pro dote alterius mulieris. l. 12. & l. fin. C. eod. Quarto, si pretium accepit pro fidejussione. l. Antiqua. 23. C. eod. Quintò, si decipiendi animo intercesserit. l. Feminis 18. C. eod. Et quod dictum est de renunciatione Vellejani, debet esse vel coram Judice, vel cum juramento. Bonacina de Contr. disp. 3. qu. 9. punct. 2. Farinac. in Repet. de Contr. in fragm. Verb. Mulier num. 35.

20. *Quer.* An mulier juvetur S. Consulto Vellejano, si dederit pignora pro debito alterius? *Resp.* Affirmativè, & idè potest petere pignorum restitutionem. Gratian. decis. 118. num. 2. & est Tex. in l. Si qua mulier. C. ad Vellejan.

CAPUT LXXXIX.

De Syngrapha, seu Litterarum Obligatione.

1. *Quer.* Quomodo contrahatur obligatio litteris, seu Syngrapha? *Resp.* Quando quis spe futuræ numerationis scribit, se recepisse pecuniam, quam verè non accepit, & in hoc casu, creditor intra biennium tenetur, probare, numeratam fuisse pecuniam; transacto biennio probatio cadit in debitorem, qui, si non probet, pecuniam non fuisse numeratam, tenetur ad solutionem, toto tit. Inst. de Litter. Obligat. lib. 3. tit. 22.

2. *Quer.* An possit opponi exceptio de non numerata pecunia in tota quantitate expressa in chirographo, si partem tantum debitor

recepisset? *Resp.* Posse l. 2. C. de non numer. pec.

3. *Quer.* An hæc exceptio extendatur aliquando ultra biennium? *Resp.* Extendi favore Ecclesiæ, vel causæ piæ. Auth. Hoc Jus porrectum. C. de Sacrosanct. Eccles. Bald. in cap. In presentia. 8. De Probat.

4. *Quer.* Quando cesset hæc exceptio non numeratæ pecuniæ? *Resp.* In sex casibus cessat. Primò, Si confessio receptæ pecuniæ fiat in Testamento. Gloss. in l. 1. verb. Error. C. de Falsa causa adject. Secundò, Quando intervenit geminata Confessio ex intervallo. Jas. in l. Si pecuniam, 30. num. 3. ff. Si cert. petat. Tertio, Si facta sit in aliis contractibus præter mutuum, & dotem. l. Generaliter, 13. C. de non num. pecun. Rota apud Cencium decis. 291. num. 4. quæ ait non competere in eo, qui falsus est, se recepisse pecuniam causa depositi; nisi statim deponens promississet relinquere ei dictam pecuniam loco mutui. Nicol. dict. tit. 22. Inst. de lit. Oblig. n. 1. Quarto, Quando confessio facta esset per manum publici Notarii, quia ei credendum est, donec contrarium probetur. Bonacina de Contract. disp. 3. quæst. 11. punct. 11. num. 5. Et Quintò, Si mutuarius se obligaverit in forma Cameræ. Nicol. dict. 22. num. 1. Vers. Sextò.

5. *Quer.* An mutuarius possit renunciare huic exceptioni? *Resp.* Esse hinc inde opinionem; sed negativam reputari æquiorè; nisi renunciasset ei ex intervallo. Nicol. in d. tit. 22.

6. *Quer.* An renunciatio hæc teneat, si fiat cum Juramento? *Resp.* Negativè. l. fin. C. de non num. pecun. Bonacina ubi supra.

7. *Quer.* Quæ cautio sit adhibenda à mutuante? *Resp.* Quod exburset pecuniam coram testibus. Nicol. d. lib. 3. tit. 22. num. 3.

8. *Quer.* Debitor qui confessus est, se recepisse pecuniam mutuo, quàm verè non accepit, quam cautionem habere potest? *Resp.* Statim agat judicialiter contra creditorem, ut restituat sibi suum chirographum, vel pecuniam numeret. l. Si intra, 8. C. eod. Aliàs transacto biennio, si ipse debitor non probaverit, pecuniam numeratam non fuisse, tenebitur ad ejus solutionem. Nicol. d. tit. 22. num. 3. in fine.

CAPUT XC.

De Emptione, & Venditione.

1. *Quer.* Quot modis contrahatur Emptio, & Venditio? *Resp.* Duobus modis. In scriptis, & sine scriptis. Emptio sine scriptis solo consensu perficitur, statim ac inter partes de pretio, & de mercede conventum est; licet adhuc non intervenerit traditio aut rei, aut pretii, aut arrharum. Nicol. tit. 24. Inst. de Emption. in princ.

2. *Quer.* An datis arrhis possint à contractu Emptionis, ante rei traditionem, partes rescire? *Resp.* Cum distinctione; Vel arrhæ datæ sunt in partem pretii, & rescire non possunt, nisi communi consensu. Vel datæ sunt in argumentum contractus initi, & tunc si Em-